



**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

An principatus summi Romani Pontificis non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendat, ita quod in toto orbe iurisdictionem habeat temporalem. cap. xvi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

de excessibus prælatorum. Archiepiscopus non nisi ad Missarum solennia pallio utatur, & in synodo. Sed potest synodum congregare ante susceptionem pallij, ut per tex. & docto. in d. c. pallium tibi. Et de pallio Archiepiscopi vide in tit. de usu pallij, & per totam distinctionem centesimam; ubi dicitur in c. prisca: Honor pallij non detur nisi meritis exigentibus.

AN PRINCIPATVS SVMMI ROMANI Pontificis non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendat, ita quod in toto orbe iurisdictionem habeat temporalem.

Cap. XVI.

S V M M A R I V M.

- 1 Principatus summi Romani Pontificis an etiam ad temporalia se extendit.
- 2 Papa dicitur summus, omnia enim ei subiecta sunt.
- 3 Potestas duplex est, spiritualis, & temporalis.
- 4 In tribus spiritualis est prior temporalis.
- 5 Anima omnibus rebus preferenda est.
- 6 Imperium sicut sacerdotium à Deo processit.
- 7 Materialis gladius ad solum Pontificem pertinet.
- 8 Ioannes Rex Navarre à summo Pontifice Iulio secundo tanquam schismaticus, & hereticus declaratus fuit.
- 9 Principes à fide apostatantes vitam à Pontifice temporali dominio privari possunt.
- 10 De quadruplici Monarchia aliqua.
- 11 Quando incepit Christi Monarchia.
- 12 Christi Principatus quando incepit.
- 13 Papa Adrianus concilio Romæ celebrato Imperium in personam Principis Caroli à Grecis in Germanos transfudit.
- 14 Antiquo tempore quis modus in eligendo servabatur.
- 15 Gregorius quintus Teuthonicus Imperatoris electionem per septem Alemannie principes fieri ordinavit.
- 16 Papa à nullo iudicari potest.

H 3

AN



N^o t^o principatus summi Romani Pontificis non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendat, ita quod in toto orbe iurisdictionem habeat temporalem, dic breuiter: quod licet Romanus Pontifex non habeat regulariter, siue directe ita plenam potestatem in temporalibus, sicut in spiritualibus; nihilominus etiam habet potestatem in temporalibus ex consequenti, & hoc proprio iure, scilicet quantum necessarium est ad cōseruationem rerum spiritualium, ad directionem hominum in salutem æternam, ad correctionem peccatorum, & ad cōseruandā pacem in populo Christiano, vt ex infra dicendis demonstrabitur. † Et in primis dico, quod Papa est summus, & omnes sunt ei subiecti, vt est glossa valde notabilis in Clement. ad nostrum, de hæret. in verbo ecclesiæ; & vide alia singularem gloss. in c. causam, il. ij. qui fil. sunt legit. & vide Inno. in c. licet ex suscepto, de foro competentis: & vide Hostien. in c. per venerabilem, qui filij sint legitimi: & vide eundem in sua sum. eo. tit. §. qualiter, & quo. Et, vt magis materia eluceat, dic, quod † duplex est potestas, vna spiritualis, quæ est penes summum Pontificem; alia temporalis, quæ est penes Imperatorem, vt in c. soluite, de maior. & obed. † Spiritualis autem est prior temporali in tribus, vt dicit Hostien. in loco præallegato; in dignitate, siue maiori, in institutione, & in autoritate, seu potestate. Est enim prior in maiori, sicut spiritus est maior corpore: est prior in institutione, nam sacerdotium Melchisedech præcessit legem scriptam; de quo in c. translatio, de consti. Item per sacerdotem Deo iubente fuit ordinata Regalis potestas. j. Regum cap. viij. quum dicit Dominus ad Samuelem: Constitue super eum Regem. Est ergo sacerdos etiam prior potestate, & autoritate. Item patet hæc maiori ratione subiecti: quanto enim quis melioribus præest, tanto maior est, vt in authen. de defen. ciui. nos igitur, collat. ij. Sed † anima, cui Papa præest, præferenda est omnibus rebus humanis, quibus Imperator præest. xij. q. j. c. præcipimus: ergo Papa præest Imperatori. In hoc probatur ex vi fidei, sicut enim ponere duo principa

est hæreticum, vt de sum. Trin. & fide cath. c. j. & ij. sic etiam ponere duos vicarios æquales in terris est hæreticum. facit glo. notab. in c. non autem. viij. q. j. Est enim ecclesia militans diuinitus exemplata ab ecclesia triumphante dicente Ioan. in Apocalyp. c. xij. in prin. Vidi Hierusalem sanctam nouam descendente de cælo, &c. & Moyfi dictum est, Exod. xxv. quod omnia faceret secundum exemplum sibi demonstratum. Cum igitur in ecclesia triumphante sit vnus princeps summus, cuius obedientiæ tota ipsa ecclesia perfectissimè est subiecta, scilicet Deus, necessario sequitur, quod etiam ecclesiæ militanti vnus summus princeps præsideat. Imperator esse non potest, cum nõ valeat præesse in spiritualibus, ergo est Papa, qui & temporalibus præesse potest, vt superius diximus, & infra dicemus. Sed sciendum est, quod imperium, sicut sacerdotiũ, processit à Deo, & nedum summum imperiũ, immo & quilibet inferior potestas dicitur à Deo, vnde in passione Christus ait ad Pilatum: Non haberes in me potestatem vllam, nisi data esset tibi desuper: sed hæc potestas non deriuatur in principem secularem immediate à Deo, sed per debitam, & subalternatam emanationem à vicario Christi Iesu, apud quem sunt iura cælestis, & terreni imperij, vt dicitur ex. xxij. distin. c. omnes. Hinc est, quod imperium transferre potest de certo genere personarum cum maxima causa ad aliud genus, vt infra dicitur. Sed isti exercetes istos duos gladios habent se ad inuicem, vt maior, & minor, & vnus sit supremus in ecclesia militante, sicut in triumphante. Sed diceres, ad quid valet ista maioritas, & prærogatiua, cum non valeat Papa perturbare illam iurisdictionem temporalis principis, nec minuere, nec exercere per se, vt in c. si Imperator, & in c. cum ad verum. xcvj. distin. & c. quoniam. x. distin. & in c. causam, qui filij sint legitimi: & ipse Deus exercituum interdixit, dicendo: Mitte gladium tuum, &c. Respondetur, quod valet ad multa; & primo, vt ipsum Imperatorem, tanquã inferiorem, destituat exigentibus causis maximis, & arduis. Itẽ in omnibus arduis negotijs, & maximis difficultatibus generatibus scandalũ in Christianitate, potest huiusmodi maioritatis ratione se in-

tromittere etiam inter laicos, & exercere ipsam potestatem
 sibi à Deo attributam, vt in principio ipsius capituli dixi-
 mus, & infra dicemus. Et vbi ista negotiorum necessitas,
 & grauitas non contingit, habent locum iura generaliter
 loquentia, quod Papa debet præesse spiritualibus, Imper-
 ator verò temporalibus: & hæc sufficiant, quo ad hunc
 7 passum. † Et quod gladius materialis ad Romanum Pon-
 tificem pertineat, patet Ioan. xviij. Vbi dixit Christus Pe-
 tro: Conuerte gladium tuum in vaginam. Quod verbum
 pertractans beatus Bernardus ad Eugenium Papam sic in-
 quit: Qui tuum negat, non satis videtur mihi attendere
 verbum Domini, dicentis: Conuerte gladium tuum in va-
 ginam, Ioan. xviij. & Matth. xvj. Tuus ergo tuo forsitan
 nutu, & si non tua manu euaginandus, sed iussu Impera-
 toris: hæc ille, s. Bernardus. Nutus verò dicitur non tan-
 tum exhortatio, sed etiã dispositio. Vnde Leo Papa I I I.
 vt in c. igitur, xxiij. quæst. viij. contra Saracenos iubet po-
 pulum congregari, & eis ad litus maris occurrere. Item vt
 in c. hortatu, ead. cau. & q. Hortatu, & precibus Adriani
 Papæ exhortatus Carolus Rex contra Longobardos bel-
 lum suscepit. Ad idem, beatus Gregorius quosdam hor-
 tatur nobiles, vt milites congregent contra hostes, & ar-
 ma viriliter præparent, vt in c. quicumque, ead. cau. & q.
 Item in registro etiam legitur, quod beatus Gregorius cu-
 iuslibet Tusciæ, vt contra Longobardos arma pararet, man-
 dauit, & militibus stipendia decreuit. Quod etiam hu-
 ius gladij materialis dispositio, licet non materialis exer-
 citatio, conueniat clericis, sanctus Thomas in secunda se-
 cundæ, quæst. xl. art. ij. declarat, ita dicens: Omnis perso-
 na, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet dispo-
 nere de his, quæ sunt ad finem; bella autem carnalia in po-
 pulo fideli sunt referenda sic ad finem, vt ad bonum spiri-
 tale diuinum, cui clerici deputantur, ideo ad clericos per-
 tinet disponere, & inducere alios ad bellandum bella ius-
 ta. hæc S. Thom. Pertinet ergo dispositio authoritatis
 gladij materialis aduersus infideles, hæreticos, schismaticos,
 & tyrannos, maxime ad Romanum Pontificem, qui
 dux, & pastor, & pugil est populi Christiani, quando bel-

lum est pro veritate fidei, vt infra in c. de bello. Et de hoc vide extrauagantem Bonifacij incipientem, vnam sanctā. Ideo imperium Romanum à Græcis transfuit in Germanos, & potestatem, ac ius eligendi Imperatorem postmodum certis principibus contulit, vt in c. venerabilem, de electio. Vbi dicit glo. Legimus in Chronicis, quod cum Romana ecclesia opprimeretur ab Aistulpho rege Longobardorum, petijt auxilium à Constantino, & Leone eius filio Imperatoribus Constantinopolitanis, qui cum nolent patrocinari ecclesiam, Stephanus Papa secundus, natione Romanus, transfuit imperium in Carolum Magnū, qui fuerat filius Pipini, quem Zacharias prædecessor eius substituerat loco regis Francorum: de quo in c. alius. xv. quæst. vj. † Nonne igitur iuste Iulius secundus sanctissimus Pontifex maximus Ioannem Regem Navarra schismaticum, hæreticum, Apostolica sedis hostem publicum, atque reum læsæ Maiestatis declarauit? regnumque, & omnia eius bona publicauit primo occupanti, atque nominatim Catholico Regi Hispaniarum concessit? quemadmodum Stephanus secundus sanctissimus Pontifex Constantinum, & Leonem Occidentis imperio deiecit, propterea quod ipsi ecclesiæ causā imploranti auxilium denegauit. † Potest itaque Papa principes apostatantes à fide, priuare dominio temporali, quod habent super fideles: quod probatur ex iam dictis, & ostenditur ex dictis S. Tho. secunda secunda, quæst. xl. art. vlt.

† Sed quia tempus acceptabile est, dicamus aliqua de quadruplici Monarchia. Prima fuit Assyriorum, cuius caput Ninus fuit tempore Abrahamæ Patriarchæ, quæ durauit 1240 annos, vt scribit Augustinus libro iij. de ciuit. Dei, vsque ad Sardanapalum, qui propter merita muliebria perdidit principatum. Arbazanes transfuit regnum ad Mædos, & Persas, eo tempore, quo regnabat Procas Dux Romanorum, vt idem Augustin. in libro xvij. de ciuitate Dei. Hæc secunda monarchia Mædorum, & Persarum durauit vsque ad tempora Alexandri. 223. annos, quando videlicet deuincitur Darius à prædicto Alexandro, vt scribit idem Augustin. libro xij. Sed monarchia Græcorum

H 5 in A-

in Alexandro incœpit, & in eodem finijt. Regnavit Alexander annos 12. & mortuus est. Sed quamvis Græci nō habuerint vniuersale dominium, viguit tamen regnum Macedonum annis 4880. vt Augustin. scribit in eodem xij. Post hanc autem monarchiam Romanus principatus vigere incœpit, durauitq; consulatus, immo monarchia vsque ad tempora Iulij Cæsaris, qui primus vsurpauit imperium; sed parum in eo superuixit. Post hunc Octavianus filius sororis eius succelsit, & propter suam modestiam longo tempore in eo principatum habuit, ac in xlij. anno sui imperij, completa septuagesima sexta hebdomada Danielis, cessante regno, & sacerdotio Iudæorum, nascitur Christus, qui fuit verus Rex, & sacerdos, & verus Monarcha. † Sed monarchia Christi quando incœperit, vide sanctum Thom. in tracta. de regi. princip. libro iij. c. xiiij. & ibi in c. xv. dicit sanctus Tho. quod quamuis temporaliter esset Dominus orbis, directē tamen ad spiritua- lem vitam suam ordinauit principatum, iuxta illud Ioan. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. & sic verificatur verbum Domini: Regnum meum non est de hoc mundo. Et sic constat post natiuitatē Christi multos imperasse: ipse verō vitam abiectam elegit, vnde in Matthæo dicitur: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Item Christus dixit: Regnum meum non est de hoc mundo, vt diximus. Et interroganti respondit: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos? Item in Ioanne scribitur: quod cū paussset multitudinem, abscondit se: quia volebant eum populi rapere, ac regem facere. Recipit enim influentiam Christi principatus ex diuina virtute, quæ in ipso personaliter erat, qua potentia vsus est Christus circa passionem, cū Iudæi vellent eum occidere, & ipsum quærerent: quo dicente, Ego sum; statim ceciderunt in terram, vt in Ioanne scribitur, & in hoc transcendit sua potestas potentiam sui successoris. Simili modo cū ementes, & vendentes de templo eiecit. † Sed principatus Christi incœpit in ipsa sua natiuitate temporalis, & in humilitate, & paupertate suum fun-
dauit

dauit dominium, & in aduersitatibus, & laboribus, & æ-
rumnis ad tollendam suspensionem de cordibus hominum,
quod quasi principatum assumpserit, vt in mundo domi-
naretur. Vnde legitur in Ioanne. Non venit filius Dei in
mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per
ipsum: & Luca ix. Domine vis, dicamus, vt descendat
ignis de cælo, & consumat illos: conuersus Iesus, incre-
pauit illos, & dixit: Non misit Deus filium suum in mun-
dum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per
ipsum. † Sed Papa Adrianus cōcilio celebrato Romæ cen-¹³
tum quinquagintaquinque Episcoporum, & venerabiliū
Abbatum, imperium in personam principis Caroli à Græ-
cis transulit in Germanos, quādiu enim Imperatores Ro-
manam ecclesiam defenderunt, ecclesia Imperatores fo-
uit: postquam verò defecerunt, de alio Imperatore ad sui
protectionem prouidit. † Et tunc diuersificatus est modus ¹⁴
imperij, quia vsque ad tempora Caroli in Constantino-
poli in eligendo seruabatur modus antiquus. Aliquando
enim assumebatur de eodem genere, aliquando aliunde,
& aliquando per principem fiebat electio, aliquando per
exercitum. Sed instituto Carolo cessauit electio, & per
successionem assumebantur de eodem genere, vt semper
primogenitus esset Imperator. Et hoc durauit vsque ad se-
ptimam generationem. Qua etiam deficiente tempore Lu-
douici à Carolo separati, cū ecclesia vexaretur ab ini-
quis Romanis, aduocatus est Ortho primus Dux Saxo-
rum in ecclesiæ subsidium, liberataque ecclesia à vexa-
tione Longobardorum, & impiorum Romanorum, ac Be-
rengarij tyranni, in Imperatorem coronatur à Leone
VII. genere Alemanno, qui Ortho imperium tenuit vs-
que ad tertiam generationem: & omnes Orthones vocati
sunt. Et ex tunc, vt historia tradunt, † per Gregorium V. ¹⁵
genere similiter Teuthonicum prouisa est electio, videli-
cet, vt per septem principes Alemanniæ fiat; quæ vsque ad
ista tempora perseuerat: quod est spatium quingentorum
septuaginta annorum, vel circa. Et tantum durabit, quan-
tum Romana ecclesia, quæ supremum gradum in princi-
patu tenet Christi, fidelibus expediens iudicauerit. In
quo

quo casu, vt ex verbis Domini supra inductis, est manifestum, videlicet pro bono statu vniuersalis ecclesiæ, vicarius Christi habet plenitudinem potestatis, cui competit dicta prouisio. † Sed Papa à nullo iudicari potest, vt in c. nemo, c. aliorum, & c. cuncta per mundum. ix. quæst. iij. & c. electionem. lxxviij. distin. cum similibus: & vide tex. in c. oues. & c. nos. ij. quæst. vij. & sic Papa est supra concilium, vt est communis sententia doctissimorum virorum, & ego eam sequor, tanquam piam & sanctam, quia oportet tollere schismata.

Notate bene omnia contenta in toto isto capitulo, quia magna, & ardua sunt, & quasi fundamentum totius iuris nostri, non ita alibi tacta per iurisperitos, licet aliqui insensati multa vaniloqua contra sacrum imperium moliri conati sint. Tota schola Pontificia, & Cæsarea communiter in hoc concordare videtur. sed modernorum ingenia adeo deprauata sunt, vt semper suscitent diuisionem inter vtrunque gladium. Et concludendo dico, quod si enarrare vellem facultatem, & supremam dignitatem, & excellentiam sanctæ Apostolicæ sedis, ante diem clauso componet vesper olympo. Nec mihi si mille lingue sint, oraque mille, ferrea vox, & c. minimam partem earum attingere possem. Omnia tamen in toto isto libro, & specialiter in isto capitulo contenta submittimus sub correctione sanctæ matris Romanæ ecclesiæ, & sub correctione sacri summi Romani Pontificis.

DE DISPENSATIONE SANCTISSIMORUM EPISCOPORUM. Cap. XVII.

S V M M A R I V M.

- 1 Dispensatio quid sit, & vnde dicta.
- 2 In quibus casibus Episcopus dispensare potest.
- 3 Etiam in die Dominico solus Papa ordinare potest.
- 4 Vtrum ab Episcopo excommunicato possint ordinari clerici in sacris.
- 5 Qui per annum, & ultra stetit in excommunicatione, officio suo priuari debet.